

Br. 28. Nurn. 4.

1749, 24

15

R. 240.

DE
S E R V I T V T E
IN REM PVBLCAM REVOCANDA
D I S S E R T A T I O

ANNVENTE
ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM
ORDINE
LOCA HORISQUE CONSVLTIS
DIE XXVI. APRILIS
MDCCXLIX.



PVBLINE DEFENDENDA

A
I O A N N E I V L I O
S V R L A N D
I. V. D.
ET
FRANCISCO GODEFREDO
R A V T E N B E R G
ISERNHAGA - CELLENSI.

GOTTINGAE TYPIS IO. FRIEDR. HAGERI.

DE
GERALITATE

IN PRAESES TITULUM REAUGANDIA

DISPUTATIO

MATERIA EPISTOLAE
ORDINE

ACCA HONORABE COMITATU

DIC XXV ANNI

MDCCXVII

LUDVICO DUDINDI

LOKALIA

VARIA

SCENICOS GODDUS

KATHARINERG

ANNA - CESTERNA

CORNELIUS LEBEL DE MONTMARTRE



§. I.

eruitutem, quam recte Iustinianus constitutionem iuris gentium nominat, qua quis dominio alieno contra naturam subiicitur (a), reipublicae commendandam dum etincere audemus, in eo omnis rei cardo nobis versari videtur, vt illam nec religioni nec moribus nec communi saluti repugnare, quin quod ea potius haec cuncta promoueantur, luce clarius demonstremus (b).

(a) §. 2. I. de I. perf.

(b) Delibauit quedam has de re autor de l'Essai Politique sur le Commerce chap. V. quae tamen & clariora & pluribus argumentis illustrata hic reperientur.

A 2

§. 2.

¶) 4 (¶

§. 2.

Horret sane vel ipsum seruitutis nomen mens ingenua: erunt tamen forsan, qui re accuratius perspecta seruitutem ac potestatem domini, qualem iam nos innotimus, publica autoritate moderatam, publico usui accommodatam, si non appetent, haud certe detestabuntur.

§. 3.

Quod quidem paradoxon ut in veritatem euadat, praecipue nobis inquirendum erit, quoisque & diuino & humano iure principi in subditos eorumque personas atque bona competit dominium? Nouimus autem utrumque tum demum infringere vim imperantium, cum iuri eorum derogare annitantur. Non vero derogat iuri priuatorum princeps, qui singulorum felicitatem publicae postponit.

§. 4.

Quidquid tranquillitatem conseruat reipublicae, gentis adauget numerum; incolarum format mores, artificum exercet diligentiam, splendorem extollit populi, id omnino publicam salutem promouere nemo, credo, dubitabit. Haec igitur si cum seruitutis introductione coniuncta mox ostendero, vel singulorum incommodo illam reuocandam facile patebit.

§. 5.

Omnis certe ciuitas non diuitibus saltet,
quos greges centum, sicalaque circum
mugunt vaccae; queis tollit hinni-
tum apta quadrigis equa; quos bis Afro
murice tintiae

Vestiunt lanae: (q)

fed

sed pauperibus quoque constat: non bonis tantum, ast
malis etiam, quorum furores nullis iam legibus nullis ius-
diciis fraenari poterunt; vt ius, aequitas, leges, liber-
tas, pudor, pudicitia in ciuitate maneant, dextera ferro-
que a ceruicibus repellendi (b). Hos mens improba, il-
los ingeniosa fames

& quae semper anteit saeva necessitas
clavos trabales & cuneos manu
gestans aenâ; nec seuerus
vincus abest, liquidumue plumbum: (c)

ad facinora saepe prouocat. Horum cupiditates si per-
petui censoris praesentia frangantur, illorum inopia si
ostensis laborum praemiis subleuetur, non erit, quod
de vtroque sibi timeat respublica. Hos in carceres atque
catenas protrudi quotidie videmus: illos publica non
numquam munificentia ali cernimus. Quodsi vel poe-
nae loco vel voluntaria vtrisque seruitus subeunda fo-
ret, melius omnino cum re publica ageretur. Serua-
tos quippe ad labores publicos maleficos vltro ad effu-
giendum imminens capitis periculum vires suas exhau-
rire experientia docet. Diuites vero, qui iam paupe-
rem subleuare ignota eius mente ac nullo pietatis prae-
mio extimescunt, eum, qui libertatem suam illis offer-
re, se suaque omnia potestati eorum committere non
dubitaret, in familiam recipere, actionibus inuigilare,
ac diligentiam, ex qua maximum ad se commodum
ignoranti vel inuitio obueniens, (ipse enim seruus, qui in
potestate alterius est, nihil suum babere potest) (d) redi-
turum esset, excitare numquam haererent. Restricta
hinc in virilitatem ciuitatis malorum libidine; translata
omni in eos potestate, quorum maxime interest prouide-

) 6 (

dere, ne quid res publica detrimenti capiat; labore fastidia extundente, ne mens vacua ad res nouandas ac illicitas congregations vergat; tranquillitas publica seruitute omnino firmabitur.

(a) Horatius Lib. II. carm. XVI.

(b) Cicero pro Milone.

(c) Horatius Lib. I. carm. XXXV.

(d) §. 3. I. per quas person. cuique adquir.

§. 6.

Intererit sane dominorum, seruorum adaugere numerum: nuptias igitur eorum non modo non prohibebunt, ast exoptabunt quoque, atque praeparabunt. Alacris concendet seruus genialem torum, futuri temporis sustentationisque infantuli securus. Non dulces spernet amores, non grauidum exhorrescit vterum, ac vix nato pueru manus telaque intentabit tempestiuu viro. Crescit in dies ciuium numerus seruorum connubiis, ac pauperum foecunditate diuitium fortuna lucrabitur.

§. 7.

Quos tenellos nouimus, quorumque aspectui a parvulis adsuescimus, in eos singulari quasi instinctu nos ferri, ac propensiore animo esse, experientia testatur. Ferocibus imperare arduum ac ingratum; mansuetis facile ac iucundum erit. Vel igitur seruorum, vel sui ipsius causa mores infantum formabunt domini, eorumque mentem suis sumtibus excolare atque exornare non verebuntur. Erunt ergo, vnde sumat princeps, quibus opus habebit communis patria, non rudes, non horridos, ast institutos iam bonarumque artium peritos: ac quanto magis expediet genti, ciues habere comitos atque urbanos, quam expleri ferorum hominum colluvie:

¶ 7 (¶)

vie: tanto magis illi expediet, seruitutem reuocare, quam
aequali suos libertate donare.

§. 8.

Amabit ac prae ceteris magni faciet dominus ser-
vos, quorum opera prae ceteris vti poterit: quisquis i-
gitur eorum dum hero placere studebit, (a) artem quam
profitetur excolere in eaque omnes praecellere allabora-
vit. Habebunt inde in seruorum studio, vnde gaudeant
Palladis sectatores: habebit, vnde lucretur, respublica.
Erit, quod ingenuis, eandem artem profitentibus, ru-
borem incutiat, eosque ad altiora tentanda hortetur. Flo-
rebunt igitur artes in gente, quae seruos habebit.

(a) Consilium de faeminiis maribusque in eodem loco habendis,
ac genio suo labore alacrius incumbitur, dans l' Essai de Com-
merce I. c. hic suppeditatum, naturali instinctui dijudicandum
relinquimus cum B. CLAPROTHIO im Grundr. d. Rechts
der Nat. cap. 12.

§. 9.

Verene expediatur reipublicae an ei potius damnum
afferat luxus, vt inquirant aliis quidem relinquimus:
(a) id saltem hic monebimus, quod omni dubio pro-
cul exstat, eo maiorem populi cuiusvis esse famam, eo
plures in urbem quandam confluere peregrinos, eo ca-
riores emi merces quasdam, quo magis ciuitias atque
luxum spirent. Si vero mortalium mores siue laudandi
sint, siue reprehendendi, aliena stultitia vel sagacitate
suos iuare princeps nullo discrimine habebit. Haud ve-
ro erit, quo sumtuum magnificentia luxusque facilior
sustentetur ac restituta seruitute. Legimus hodie, ac ad-
mirantes requirimus vias, aquae ductus, theatra, priu-
torum sumtibus olim erecta: ludos vnius quondam lar-
gitate

M) 8 (M

gitate populo exhibitos: itinera commeatu modo non imperatorio instituta. Ast deerant huic aevo, prudens quos adhuc natura absconderat, Indianum thesaurem. Vnde igitur tantae diuinitiae? vnde non eadem nobis pompa? vnde tribus quatuorue pedissequis contenti magistratus, quorum antecessores mille comitabantur? Erigunt iam cristas, quicunque humani aliquid a se non alienum putant: munimissa iam omnis seruorum caterua: nec, nisi ea redacta, pristinus splendor gentibus redibit.

(a) conf. de hac re Essai politique sur le Commerce chap. IX.

§. IO.

*I*psorum autem dominorum non minus ac citium interesse, ne auxilium contra faelitiam, vel famem vel intolerabilem iniuriam denegetur iis, qui iuste deprecantur iam D. Antoninus censuit. (a) Iustis igitur limitibus illibatam eorum potestatem continendam voluimus, (b) quos tamen praescribere cuiusque gentis conditioni merito relinquimus. Exstat eorum exemplum aequum fane ac iustum in Codice Nigro Ludouiciano, (d) dominicam in coloniis potestatem optime dirigente.

(a) §. 2. I. de his qui sui l. alieni iur.

(b) §. 2. Diff.

(c) Duplex est codex MDCLXIV. promulgatus, hic Louisianae, ille Guineae praescriptus, eiusdem fere tenoris. Inueniri poterit inter alios in T. IV. de la Guinée du Chevalier Marchais.

§. II.

Quod ne omnia hic omessa quis reprehendar, breuibus sententiam nostram exponemus. Omnia, quae heris veterum in mancipia competebant iura, hodiernis quoque concederemus, sic ut durioribus quoque poenis coer-

coercere possint: ne tamen priuata autoritate ultimum
de illis sumatur supplicium, publico potius iudicio re-
seruandum. In libertate quoque donanda amplum ar-
bitrium domini, statueremus; magistratus tamen cal-
culo approbanda, si in eodem, quo manumissus, loco
domicilium fixurus sit libertus.

§. 12.

Confirmasse nobis videmur, vel singulorum incom-
modo seruitutem, publico commodo inservientem, re-
vocandam: (a) qui tamen modo dicta accuratius inspe-
xerit, ne singulorum quidem incommode hic extime-
scendum facile perspiciet. Quae iam aderat, atque im-
pendebat, mortis poenam cum seruitute commutare si reo
conceditur infelix ille incommode ne sentiet? ul-
tre ne potius manus vinculis proiciet, irruentem carnifi-
cem arcentibus? Inopi familiae qui tramitem aperue-
rit, quo neglecta, quae nonnumquam post equitem sedet,
atra cura, fortis suae secura perfugere queat, nec irri-
tam spem concipere, fore, ut virtute sua nepotes digni-
tatem recuperent, quam tueri forsitan non potuere pa-
rentes: quis illam seruitute infeliciorem effici propu-
gnabit? (b)

(a) S. 3. Diff.

(b) Sans flétrir ses parens, sans choquer ses Amis,

Porin de Conseiller devint petit Commis:

Comme on croit qu'un Denys, ayant fini son rôle,

De superbe Tyrant se fit Maître d'École.

Epîtres diverses T.I. p. 53.

§. 13.

Quinto illos, quibus ne paternum quidem sali-
num in mensa tenui splender, quosque nec fortuitum
spernere cespitem paupertas sinit, quamquam in alio

B

nullo

¶) CI (¶

nullo peccent, seruituti addici posse fere dixerim. Detracta quippe fero nomini larua, ac reapse considerata, quid erit, cur, seruata inani libertatis gloria se patriamque laborum suorum fructu priuare, mendicatumque potius panem quam sudore suo partum iure quasi sibi vindicare sperent inopes?

§. 14.

Haud enim fuit, haud est vilis semper seruorum conditio. Statuis celebrata, aureis annulis donata turpia licet imperatorum romanorum mancipia legimus. Magnam terrarum partem hodie quoque seruorum imperio regi accepimus. Hic quoque honori locus erit, quem fortes appetant, doleant inertes. Nec aeternam adiit seruitutem, cui virtus atque studium, quique libertatem meretur.

§. 15.

Quid autem peius homini accidere poterit, quam rei instar haberi, emi, vendi, numquam suo, semper alieno arbitrio regi? Multa, nobis quidem iudicibus: quin quod ipsos aduersarios iudices constituamus, anne haec exoptent magis, quam notante digito monstrari, glaciali frigore consumi, edaci fame tabescere?

§. 16.

Sufficient haec ad exponentiam nostram de seruitute in rem publicam reuocanda sententiam, quam, si non in Europa, ab ipsis tamen Europaeis probatam docent commercia Nigritarum, ab Afflentistis immenso lucro (a) exercita; quorum breuem historiam coronidis loco hic exhibituri lectori taedium nos moturos non pauescimus.

(a) Conf. the Plan of the English commerce p. 1. cap. 7. p. 244.

§. 17.

¶ II (¶)

§. 17.

Eruenda illa ex primis Hispanorum in Indos vix repertos saeuientium artibus. Vastatis quippe vndique ferro flammisque Americae finibus, (a) alienatis crudelitate sua incolarum superstitionis animis, deerant omnino, qui recondita terrae viscera scrutarentur, aurumue, tantae cupiditatis praemium, protraherent. Ut igitur, quas sponte subire detrectabant, in has inuiti detruderentur latebras, regum suorum religionem (b) tali fallacia Hispani aggredi tentauerunt. Querebantur nempe, libiores Indos in campis vagari, ac omnem christianaæ fidei sensum respuere; cui tamen facillime obueniri posset, si cuique suorum certus indigenarum numerus informandus traderetur. Annuerunt petitis Ferdinandus & Isabella, ac diuisiones, Hispano vocabulo *Repartementos* dietas, instituerunt: in quibus, dum viueret regina, per sex ad octo menses quotannis, uno atque dimidio albo quotidie salarii loco accepto, fodinas perquirere adigebantur, reliquo tempore ad descendam fidei christianaæ formulam seruato.

(a) Notiora haec sunt quam ut testibus egeant. V. tamén qui volet L' histoire de St. Domingue par le P. Charlevoix. Nec desuerunt, qui obiicerent, quae Seytarum legati Alexandro M. apud Curtium VII. 8. *Quid tibi diuitiis opus opus est, quae te esurire cogunt, ita, ut quo plures habes, ea acris cupias.*

quae non habes? si deus es tribuere mortalibus beneficia debes; non sua eripere: sin autem homo es, id quod es, semper esse te cogita.

- (b) Inuitis id regibus factum, inque primis Isabellam ob crudelitatis suspicionem Pro-Regis dignitate bis priuasse Columbum patet inter alios ex citato Charlevoix dans l'Histoire de St. Domingue T. I. p. 168. 204. 209. T. II. p. 1. &c.

§. 18.

Ast mortua Isabella omni praesidio priuati Indi non per hoc solum tempus sed continuo in fodiinis detinebantur, donec morbo laboreque consumti tristi exemplo tyrannos suos conuincerent, vim consilii expertem mole sua ruere. (a) Accedebat, quod de saecula Hispanorum edictus rex Carolus, Indos omnes superstites libertate donaret, qui iam sui iuris facti labores, quos coacti praestiterant, vltro subire omnino abnuebant. Initio igitur vicina Lucaianorum natio, captique Caraibae, gens feritate excursioneque timenda, loco Indorum seruitute premebantur: mox vero ipse magnus Indiarum Protector commercium Nigritarum, cui hucusque restiterat, suadere, vacuasque sedes adiectis ex Africae litore seruis replere cogebat. Concessa primo commercii huius libertas aulico cuidam, Flandro, quam ille 23000. Ducatorum pretio Genuensibus vendidit. Ianuenses lucro intentiores exiguae praedae, quam

quam cariorem exhibebant, partem vendiderant. Ea vero animaduersa seruorum inopia anno MDCCI. rex Hispanorum ademitam Genuensibus libertatem Gallis concessit, a quibus MDCCXIII. ad Anglos illam translatam (b) esse nouimus.

(a) Testatur quippe illius aeu*n* historia, recte omnino sensum illorum populorum sub persona Zainori ad Alvarez expressissime Voltaire in Alzirae Act. 2. Sc. 2.

*Mon Pere, ab, si jamais ta nation cruelle
Auroit de tes vertus montré quelque etincelle,
Crois moi, cet univers, aujourd'hui desolé,
Audevant de leur jong sans peine auroit volé.
Mais autant que ton ame est bienfaisante & pure,
Autant leur cruauté fait frémir la nature,
Et j'aime mieux mourir, que de vivre avec eux.*

(b) Conf. du Mont Corps diplomat. Tom. IIX. p. 330. 359.

§. 19.

Nigritarum commercium maxime in litoribus Guineae peragitur, in quo cuiusvis facinoris reos, seruos suos, captivos, vel peregrinos clam surreptos Europaeis vendituri indigenae, omnem infelicem cateruam in forum producunt. Quod autem vulgo creditur, parentes liberos, liberos parentem ciues ciuem innocentes ac quaestus tantum causa venumdare, id quidem in probatis

batis scriptoribus reperire numquam potuimus. Circumstunt nudos atque vincos mercatores, accurate omnia scrutantur, inque primis pueris puellisque, quindecim vix annos natis, ac certa nota in fronte dignoscendis, inhiant. Constituto pretio ac signo mercatoris bracchio vel pedi impresso ad naues pertrahuntur: in quibus vili quidem cibo ac attento haud ramen seuero oculo seruatos ad colonias deducunt, incolisque vendunt ad difficilimos labores subeundos. Gens enim Nigritarum operi maxime idonea nec iugum detrectat, dum modo nimis seruile non imponatur: nec poena diuina, quam priuatione bonorum plectenda dicitur.

Conf. Labat dans le Voyage aux Isles François de l'Amerique.

T. II. p. 37. Nouveau Voyage en Guinée par le Chevalier

Marchais. T. II. p. 91.

QUE-000 q. XII. m. 17. m. 10. ap. O. invenit anno (1)



Göttingen, Diss., 1749 g-2



Noch nicht verknüpft



Bi.28. Num. 4.

1749, 24

15

DE
S E R V I T V T E
IN REM PUBLICAM REVOCANDA
D I S S E R T A T I O

P. 246.
ANNVENTE
ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM
ORDINE
LOCA HORISQUE CONSULTIS
DIE XXVI. APRILIS
MDCCXLIX.



PUBLICE DEFENDENDA

A
I O A N N E I V L I O
S V R L A N D

I. V. D.

ET

FRANCISCO GODEFREDO
RAVTENBERG

ISERNHAGA - CELLENSI.

GOTTINGAE TYPIS IO. FRIEDR. HAGERI.

